

ХРОНІКА НАУКОВОГО ЖИТТЯ

УДК 378.094-027.543(450.621):005.745(042.5)=124
DOI: <https://doi.org/10.17721/1728-2659.2025.37.29>

Валентина МИРОНОВА, канд. філол. наук, доц.
ORCID ID: 0000-0002-7190-335X
e-mail: myronova63@gmail.com

Київський національний університет імені Тараса Шевченка, Київ, Україна

"COMMUNE ARTIUM VIVUM" & "DOCTORUM OFFICIUM ET HUMANITATIS PRAESIDIUM" (ВИСТУП З НАГОДИ ІНАВГУРАЦІЇ НОВОГО НАВЧАЛЬНОГО РОКУ В ACCADEMIA VIVARIUM NOVUM 8 Листопада 2024 року)

Carissimi sodales, magistri, discipuli Accademiae Vivarii novi, nomine Universitatis Kioviensis Ševčenkianae et cathedrae philologiae classicae inaugurationem anni academici vobis ab imo pectore gratulamur!

Hoc anno universitas nostra celebrat centesimum et nonagesimum anniversarium ab illo tempore quo condita est. Magistri tale inceptum incohaberant, attamen semper magno cum animi affectu illos duo et sexaginta discipulos in primis memoramus, a quibus athenei nostri aetas vere initium duxerat. Ut multi eorum olim, sic nunc nonnulli nostrorum discipulorum ipsi magistri facti sunt, ideoque tempore progrediente universitas in communitatem magnam atque robustam crevit, ubi doctrinae, scientiae, institutio extra limina uniuscuiusque aevi et loci coluntur. Atqui summa gratitudine tenemur erga magistros nostros, a quibus vitae praecepta, mundi universi conspectum ibique hominis locum necnon doctrinarum principia haurire potuimus, ita ut etiam nunc iter nostrum certo pede metiamur.

Non est obliviscendum tamen hoc anniversarium compleri, dum saevit bellum a Russia in nostram patriam crudeliter illatum. Etsi arma clamant, Musas silere non patimur, ideoque protegimus et nutrimus cultum, humanitatem, libertatem - praecipua fundamenta nostrae civitatis. Summa ope nitimur ut nostri discipuli pares sint communibus propositis generis humani ad scientiam augendam, ut digni evadant Accademia vestra.

Vivarium enim est atheneum, ubi bonae viae rationesque docendi concordant cum structura multiformi atque studiorum ordine variis discipulis apto, est atheneum, ubi fiunt plurimi conventus Italici et omnium gentium, symposia, seminaria, colloquia, in quibus tractantur magnae quaestiones et argumenta ad totum genus humanum pertinentia. Non est dubitandum quin Accademia quaesitam meritis famam obtinuerit loci, ex quo studiorum humanitatis

periti necnon Graecae et Latinae linguarum cultusque experti proveniunt, nam in Vivario omnem, qui humanitatem plene funditusque cognoscere cupiat, magnanime excipiunt.

Spero etiam discipulos nostros, qui patrimonium cultus humanitatisque Ucrainae cum aliis orbis terrarum gentibus partiri desiderant, vestrae praeclarae Accademiae dignos participes iure meritoque factos futurosque. Nam Vivarium brevi temporis spatio in talem communitatem conformatum est, in qua tota societas veluti unicum corpus ad perfectionem quandam tendit, dum discipuli vestri tali exemplo tracti etiam se ipsos meliores reddere conantur, qui postea ut Accademiae alumni gloriae Almae Matris in reliquum terrarum orbem secum portant.

Humanitas a vobis excolta plene et manifeste signat quantum dediti sitis illis principiis cultus institutionisque, quae communitatem academicam vera quadam unione coniungunt. Magni aestimandum est, cari collegae, vestrum sincerum desiderium ad doctrinam tradendam et rerum cognitionem augendam, vestra perspicacitas in ingenio notando et ad veram utilitatem revocando, vestra ars docendi quae non modo monstrat, sed etiam sinit videre, audire et audivisse! Munere vestro identidem confirmatis veram institutionem non costringi aetate, tempore, liminibus. Vestra doctrina de vi institutionis et amore humanitatis vestro vivendi modo comprobatur, quoniam, ut apte dixerat olim philosophus Ucrainus Gregorius Skovoroda, "ille vere Magister, qui ita vivit, ut docet".

Unicuique igitur in vestra Accademia opto ut bona eveniant, necessaria sufficient, animus ad sublimiora tendat, valetudo firma maneat, propriae naturae perfectio pergat. Utinam gratitudo atque successus discipulorum sit vobis summum praemium et veluti gaudii scaturiens fons!

Отримано редакцією журналу / Received: 04.01.25
Схвалено до друку / Accepted: 18.03.25

Valentyna MYRONOVA, PhD (Philol.), Assoc. Prof.
ORCID ID: 0000-0002-7190-335X
e-mail: myronova63@gmail.com
Taras Shevchenko National University of Kyiv, Kyiv, Ukraine

"COMMUNE ARTIUM VIVUM" & "DOCTORUM OFFICIUM ET HUMANITATIS PRAESIDIUM" (SPEECH ON THE OCCASION OF THE NEW ACADEMIC YEAR INAUGURATION AT ACCADEMIA VIVARIUM NOVUM ON NOVEMBER 8, 2024)